

## C A P U T VI.

*De morbis cordis.*

**C**OR, motuum omnium animalium instrumentum primarium, vitaeque nostrae quasi principium & sors, cum musculus sit, vel potius plurimum muscularum congeries; iisdem, quibus alii corporis musculi, patet in commodis.

AFFECTIO autem, qua frequentissime laborat, est *palpitatio*, unde per exiguum temporis spatium motus ejus interrupitur. Ex causis admodum variis haec ortum habet. Non nunquam enim resolutae fibrae haud fatis valido impetu sanguinem propellunt. Interdum polypus, in ventriculis aut auriculis haerens, vim ejus eludit. Alias evenit, ut spissior simul & copiosior fanguis difficulter in canales suos feratur. Item aqua in pericardio abundante (quod raro tamen accidit) musculi hujus motus impediri potest. Concreta quoque lapidea illum turbant. Est etiam, ubi tendines in ductuum orificiis, in senibus praesertim, osseam duritiem acquisiverint; quo, amissa vi elastica, motui protrudenti nimis resistitur. Nec praeterire oportet, quod sanguinis etiam inopia morbum hunc facere possit. Hinc enim fit, ut spiritus animales minus;

nus, quam par est, in cerebro secernantur; unde prohibetur cordis contractio, pulsusque fit intermissio.

NON est autem alienum hic adnotare, affectionem hanc plerumque esse convulsionem; qua, cum cor sanguinem uno nisu non satis propellere potest, vim suam repetere debet: documento fane insigni, sicut ante exposui, motus etiam istos, qui non voluntarii dicuntur, ab animo nostro regi & mutari (a).

ILLUD denique praesagitionis loco adjungendum videtur; quod violenter infestans, & saepius recurrens, hoc malum in syncopen tandem, seu fatalem virium defectum (quam alteram cordis affectionem censent autores) plerumque definit.


TOT variis casibus medelam etiam variam accommodare oportet. Illud autem in universis tenendum est, nisi vires sint admodum imbecillae, sanguinem detrahi posse; quo, cum debilior sit ad propellendum vis cordis, minuatur liquoris propellantendi pondus. Et quidem non raro a plenitudine etiam oriri non tantum cordis palpitationem, sed & ipsam syncopen, animadvertisus; ita soliti cujusvis fluxus suppressioni, ut ex naribus aut haemorrhoidibus, frequenter succedit praeceps iste virium lapsus; unde ad praecavendum hoc malum utilissime certe erit sanguinis missio. Vix autem aliae quaevi exinanitiones ferri possunt.

(a) Vid. *Introductionem.*

E

sunt. Resolutio fibrarum ea, quae in capite  
*de paralysi* sunt exposita, desiderat. Craffior  
sanguis, qui polypum generat, medicamen-  
tis attenuantibus, qualia sunt spiritus volati-  
les dicti, & gummi graveolentia, emendatur.  
Vesicatoria autem, in primis si sopor urgeat,  
deficiente animo, optime stimulant & languen-  
tem excitant.

---



I

C A-